

errores propositi, quos effugere voluerint aut debuerint: folia ficulnea sunt, quibus conatus Separatistici teguntur; Dicemus vero causas modosque tribus verbis. Datus est transitus & porta I. *ad ἀταξίαν & frivolam temeritatem*, quando nostrae ecclesiae Oeconomia tot accusationibus impetebatur, & nihil aliud quam perditio, (Verfall) in ore omnium foeminarum & virorum gerebatur. Ita de Inspiratis ipsis aliisque crassioribus Fanaticis ex Pietismo oriundis jactat J. LANGIUS in Apologia contra Inspiratos: Sie hätten sich löblich erwecken lassen/ und hätten den grossen Verfall des rechtschaffenen Wesens eingesehen / und wären in einen unmäßigen Eyfer gerathen. p. 1. Hoc vero est extra limites officii vagari, cum unicuique potius incumbat *suae animae salutem curare, pro proximo orare, & per charitatem de illo bene sperare*, operamque dare, ne plus de *alieno* quam *suo* sit *περίεργος*. II. Apertus est introitus ad *Scepticismum*, quando per tot novas & aliunde ex omni genere adversariorum emendicatas interpretationes Scripturae, per manifestas negationes doctrinarum libris Symbolicis comprehensarum, per commendationem eorum, quae apud Fanaticos & alios peregrinos cultus videbantur nova, peregrina & pulchra, animus tandem simpliciorum & judicio non satis valentium, nec in analogia fidei innutritorum, dubius & ambiguus reddebatur. Tandem III. *via ad Atheismum* sternitur, quando sic paulatim animus disponitur, ut cum videat ab illis ipsis, qui pietatem singularem crepant, Scripturam non magni fieri, sed revelationes quaedam sine regnum Chiliaisticum anxie expectari, totum Christiano-Evangelicum cultum doctrinam & doctores sub sectariorum, Haereticorum scabiosis titulis proscindi, coenam & alia mysteria fidei leviter haberi, tandem aliquando succumbat, & universam religionem pro ludibrio habeat, & eo redeat, ut ab omni, quod sub religionis nomine venire potest, sub specie sectae ac superstitionis fugiendae abhorreat. Plura nunc non addimus, sed DEVM in Oeconomia sua praesenti adeo de salute nostrae providum ex animo oramus, ut eam custodiat pono tutamque fervet, nec depositum verbi ac ministerii ecclesiae inter tot insultus labefactari penitus unquam

P A T I A T V R!